



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de  
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de  
Matrimonio

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

Art. I. Vtrum matrimonium sit verè & propriè Sacramentum, conferens  
gratiam

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

duxerat, concubinas autem sexaginta. Quod autem exat Deuteron. 17. de non habendis à Rege plurimis uxoris, de alienigenis intelligi debet; prohibita enim cum illis fuisse conjugia, patet ex 3. Regum 11. ubi sic dicitur: Non ingredimini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestra: carissime enim auertent corda vestra, ut sequamini Deos earum. Peccatum ergo Salomonis, non in eo consistit quod plurimas mulieres uxores duxerit, sed quod alienæ regionis feminis iunctus fuerit, & ab eis depravatus, ac inducitur ut coleret deos earum. Unde statim subditur: Huiusque copulatus est Salomon arde-  
 rissimo amore, fuerunt illi uxores quasi Regina septingente, & concubine trecentæ, & auertent mulieres cor eius: cumque iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos, &c.

72 Quæres secundo, quomodo facta fuerit dispensatio in polygamia cum Iudæis, & antiquis Patribus, qui Moysen præcesserunt, an scripto, vel interna solius inspiratione & revelatione?

Respondet hanc dispensationem factam esse per inspirationem internam, eamque non singulis, sed uni aut alteri ex Patriarchis, puta Noë, mo, vel Abrahamo. Nam ut recte ait S. Thomas in 4. dist. 3. quæst. 1. art. 2. ad 3. Quis est lex, talis est dispensatio legis; & quia lex nature non est literis scripta, sed cordibus impressa, propter hoc non oportuit dispensationem eorum que ad legem nature pertinent, lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri. Sicut ergo lex monogamiae non fuit scripta, sed primo parenti inspirata, & per eum aliis manifestata; sic etiam conueniens fuit, ut dispensatio in ea lege, non scripto exprimeretur, sed per inspirationem diuinam daretur uni vel pluribus ex Patribus, per quos deinde verbo & exemplo posteris manifestaretur. Unde cum Innocentius in capite Gaudemus de diuoritiis, ait quod nulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit diuina revelatio concessum, intelligi debet de revelatione immediata, vel mediata.

73 Quæres tertio, an hæc dispensatio pertineret ad solum populum fidelem, ita ut polygamia nunquam Gentilibus licita fuerit?

Respondent Sazo, Sanchez, & alii, affirmative; cum enim (inquiunt) dispensatio facta non fuerit, nisi ad propagandum populum circumcissionis, non est cur ad Gentiles ampliata credatur.

Alii tamen respondent negative: Primo quia Abimelech, qui Genes. 20. describitur ut vir moraliter bonus, volebat uxori quam habebat superinducere Saran, & tamen non reprehenditur a Deo, quod duplicem uxorem velleret accipere. Secundo, quia in terra ubi Jacob quatuor duxit uxores, inculpabilis consuetudo erat plures uxores ducendis ex quo colligit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 47. Jacob non peccasse nubendo quatuor illis uxoribus; quia (inquit) quando mos erat, crimen non erat. Terra autem in qua Jacob torres nupit, non Iudæorum, sed Gentilium erat. Tertio, quia Esau Genes. 26. & 28. plures etiam uxores habuit duxit, neque ob id reprehenditur, neque ullus ex Gentilibus ejus temporis. Demum, quia alias matrimonium Esther cum Assuero, non fuisse verum matrimonium; licet enim Vathi prius repudiaverit, tamen cum dissolutio matrimonii

Tom. V.

A per repudium, non minus sit contra legem naturæ, atque adeo non minus dispensatione indigeat, quam polygamia, non est cur potius in illa, quam in ista, dicatur cum Gentilibus diuinitus dispensatum.

Quod si objicias, causas dispensationis in polygamia non habuisse locum in Gentilibus.

Respondetur hoc falsum esse, nam in primis multiplicatio posteritatis, quam D. Augustinus lib. 16. de civit. cap. 38. expresse ut causam talis dispensationis, non addendo populi fidelis, locum habuit etiam in Gentilibus. Deinde non defuit mysterium in tali dispensatione, siquidem hæc conjunctio plurium uxorum ad unum virum, significare potuit, etiam in Gentilibus, unionem diversorum populorum ad unum Christum.

Si istes, & dicas, posito quod conjugia Gentilium cum pluribus uxoris, fuerint ex diuina dispensatione legitima, ante aduentum Christi, sequi quod nunc etiam sint legitima, quia lex Christiana nihil immutavit in conjugis Gentilium. Respondetur negando sequelam, quia Christus reduxit omne conjugium siue Christianorum siue Gentilium ad primam institutionem: prima autem matrimonii institutio, polygamiam excludit, ut ex verbis illis Christi Matthæi 19. Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una: colligit Nicolaus I. & D. Hieronymus, quorum verba supra paragr. 2. retulimus.

## DISPUTATIO II.

De Matrimonio ut Sacramento est.

Ad Questionem 42. Supplementi.

Considerato matrimonio, ut contractus civilis est, & in officium naturæ, consequens est ut ipsum, prout auctoritate Christi ad esse Sacramenti elevatum est, contemplerur, & de ejus existentia, essentia, causis, proprietatibus, aliisque ad ipsum spectantibus, in hac & sequentibus disputationibus, disseramus.

### ARTICULUS PRIMUS.

Virum Matrimonium sit verè & propriè Sacramentum, conferens gratiam?

Partem negatam tenent Lutherani & Calvinistæ, qui non modò expresse negant, matrimonium conferre gratiam, sed dicunt illud non magis esse Sacramentum, quam sit agricultura, constructio, sutoria, & similia. Durandus etiam in 4. dist. 26. quæst. 3. negavit rationem Sacramenti ullò modo matrimonio convenire; sed cum apud Catholicos ob sententiam illam male audiret, in posteriori editione illam aliquo modo temperavit, & dixit (teste Capreolo in 4. dist. 26. quæst. unica art. 3.) matrimonium esse quidem Sacramentum, eo modo quo Sacramentum sumitur pro signo rei sacræ, ne npe quatenus est signum conjunctionis inter Christum & Eccle-

Vuu 3

fiam;

fiam; sed non esse Sacramentum propriè dictum, & univocè cum aliis novæ legis Sacramentis conveniens, quia non confert gratiam; sicut alia novæ legis Sacramenta. Ut hic error refellatur, & veritas Catholica stabiliatur & defendatur, sit

## §. I.

*Matrimonium verè & propriè rationem Sacramenti habere, breviter ostenditur.*

**M**atrimonium esse improprie saltem Sacramentum, id est alicujus rei sacræ significativum, ita certum & manifestum videtur, ut vix probatione egeat: Tum ob celebre testimonium Apostoli ad Ephes. 5. matrimonium appellantis magnum Sacramentum, eò quod sit representativum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Tum ob varia SS. Patrum testimonia, infra referenda, quibus etiam matrimonium Sacramentum appellatur, quod saltem de alicujus rei sacræ signo intelligendum est.

**N**ec valet quod ad prædictum Apostoli testimonium respondent Sectarii, nempe non matrimonium, sed conjunctionem Christi cum Ecclesia vocari ab Apostolo Sacramentum magnum, sive arcanum, nomenque proinde Sacramenti sumi ibi non pro signo rei sacræ, sed pro ipsa re sacræ & arcana. Non valet, inquam, nam cum Apostolus ait, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia: pronomen hoc referri debet ad id quod proximè præcesserat: nihil autem præcesserat de conjunctione Christi cum Ecclesia, sed tantum de matrimonio viri & mulieris, videlicet: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una: Ergo &c.

**C**onfirmatur: Intentum Apostoli erat suadere viris ut diligenter uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam suam: Atqui ad hoc nihil facit, sed impertinenter omnino se habet, quod conjunctio Christi cum Ecclesia sit magnum Sacramentum, bene tamen quod matrimonium viri cum muliere sit Sacramentum, sive signum illius conjunctionis; quia ex hoc sequitur viros debere imitari Christum, diligendo nimirum uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam: Ergo Apostolus non conjunctionem Christi cum Ecclesia, sed ipsum matrimonium, magnum Sacramentum appellat, eò quod sit representativum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Unde in Græco sic habetur, *ἡ ἕνωσις τοῦ Χριστοῦ τῇ ἐκκλησίᾳ*, id est in Christum & in Ecclesiam, quatenus in illos representandos tendit. Solum ergo difficultas est, an matrimonium verè & propriè sit Sacramentum, seu signum prædicum gratiæ sanctificantis, & gratiam conferat, sicut alia novæ legis Sacramenta. Pro cuius resolutione

**D**ico, matrimonium esse verè & propriè Sacramentum, seu signum prædicum & efficax gratiæ sanctificantis.

Conclusio est certa de fide, & definita primum in Florentino, in decreto Eugenii, ubi matrimonium ponit inter septem Ecclesiæ Sacramenta, gratiam ita significantia, ut illam quoque contineant, & recipientibus conferant, quæque in eo dicit antecellere Sacramenta veteris legis. Deinde in Tridentino sess. 24. cap. 1. ubi sic dicitur: Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus communibus per Christum gratia præstetur, merito inter nova legis Sacramenta annumerandum,

SS. Patres nostri, Concilia, & universæ Ecclesiæ dictio semper docuerunt. Et can. 1. si quis dixerit matrimonium non esse verè & propriè sacramentum legi Evangelicæ sacramentum, & Christi Dominum non institutum, sed ab hominibus in Ecclesia constitutum, neque conferre gratiam, anathematis. Deinde Concilium Senonense sub Clemente VII. anno 1528. celebratum, cap. 39. hæc habet: Item cum matrimonium à Deo verum omnium conditum in Paradiso, & in statu innocentie institutum fuerit, sitque teste Apostolo Sacramentum, prout cum magna reverentia ac devotione suscipiendum, ut in quo, sicut & in reliquis Sacramentis, gratia conferatur. Quibus verbis, non solum docetur matrimonium, sicut & reliqua novæ legis Sacramenta, conferre gratiam, sed etiam verè & propriè Sacramentum hoc magnum esse, & Sacramentum strictè & propriè sumpto interpretatur. In quo etiam sensu Tridentinum, cap. 1. supra citato, eadem Apostoli verba intelligenda videtur, ut patet ex verbis istis quæ ante supra adducta ibidem habet: Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugii sanctificaret, ipsi Christus venerabilis Sacramentum instituit, quæque perfectior, suâ nobis passione promerita, quædam Apostolus innuit dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mox subiungens: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

Ex his liquet, falsum esse quod ajunt Vasquez, Amicus, Pontius, & alii, ex eo loco Apostoli non satis convinci, matrimonium appellatum esse Sacramentum propriè & strictè, in ea significatione, quæ dicitur, septem esse novæ legis Sacramenta, sed Sacramenti nomen improprie sumptum, ut significat aliquid admodum arcanum, seu alicujus rei sacræ representativum. Nam prædicta Concilia de Sacramento strictè & propriè sumpto verba illa Apostoli intelligunt, & interpretantur, & ratio etiam hinc interpretationi favere videtur: Apostolus enim loquitur de conjunctione Christi cum Ecclesia, per charitatem & gratiam, quandoquidem in eodem capite ait: Sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, & consequenter loquitur de Sacramento proprio, quod est signum gratiæ sanctificantis; ut enim matrimonium hanc unionem per charitatem sanctificet, necesse est, quod ad hoc sit inter virum & feminam, ut mutuo se diligant per charitatem; & cum charitas non sit sine gratia, quod sit signum gratiæ sanctificantis homines.

Potest insuper probari conclusio traditione Ecclesiæ, quæ colligitur, imprimis ex eo quod causæ matrimoniales semper ad Ecclesiæ tribunal delatae sunt, quod non fieret, nisi sacra essent, & nisi in matrimonio, præter rationem contractus naturalis & civilis, esset etiam aliqua ratio sacra. Deinde, quia matrimonium continetur in Ecclesia tanquam res sacra sacris ritibus & ceremoniis celebrari consuevit, ut constat ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem, ubi sic ait: *Vide scilicet, ut ad emerendam felicitatem, quæ matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio (nempe Missæ sacrificium) & obligant Angeli, hoc est Sacramentes, sponsos benedicentes. Item matrimonium non nisi in Ecclesia, & coram Ecclesiasticis personis, celebrari consuevit, sicut & ipse Summus Pontifex matrimonii solemnisationem olim adesse solebat, ut ex Siricio Papa probat Baronius in*

Christi 77. num. 50. ita enim hic Pontifex ad Ecclesiam Mediolanensem scribit: Nos sane nuptiarum vota non aspernantes accipimus, quibus velamine intersumus.

Eadem traditio constat auctoritate Patrum: Siricius enim Epist. 1. ad Himericum Tarraconen. in cap. 4. scribit: si acilegium committi, cum maritus vivente conjuge ad aliud conjugium transit: Si autem matrimonium Sacramentum non esset, nullum sacrilegium committeret, qui reliqua sua prior uxore, alteri se conjungeret in matrimonium: sacrilegium enim non est quodcumque peccatum, sed tantum illud quod in materia religionis committitur. Innocentius 1. Epist. 9. ad probum, consultus de matrimonio, vivente priori conjuge contracto, respondet: Statuimus, fide Catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat gratia fundatum. Ecce quo pacto sanctissimus hic pontifex, matrimonium asserat in gratia fundari. Ambrosius lib. 1. de Abrahamo cap. 7. Cognoscimus veluti praesulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patitur alienum thorum pollui, quod qui fecerit, quia peccat in Deum, cuius gratiam solvit, Sacramenti celestis amittit consortium. Leo Papa Epist. 92. quae ad rusticum inscribitur, societatem nuptiarum ita esse institutam affirmat, ut praeter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi & Ecclesiae Sacramentum: indeque inferi, mulierem in qua nuptiale mysterium non fuit, ad matrimonium non pertinere. Lucius III. in cap. Ad abolendum, de haereticis, perpetui anathematis vinculo innodasse se dicit eos, qui de baptismo, vel de confessione peccatorum, vel de matrimonio, & aliis Ecclesiae Sacramentis, aliter sentire non metuunt, quam Ecclesia docet. Ubi matrimonium numerat cum Eucharistia, & aliis Ecclesiae Sacramentis, & signis efficacibus gratiae, a Christo institutis. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 22. assignans rationem, cur Christus ad nuptias Canae Galilaeae iverit, sic ait: Ut natiuitatis nostrae principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret, oportebat certe, qui totam naturam hominis ad melius restituebat, non solum natum jam hominibus benedicere, verum etiam nasciturum gratiam preparare, & aditum illorum ad hanc vitam, & auctoritate miraculi, & praesentia sua sanctum facere. Praeparavit autem Christus gratiam fidei nascituris, conferendo illam in ipso conjugio parentibus, ut eos pie & religiose educarent.

Demum, etsi Vazquez, Amicus, & alij ex Recentioribus, existiment, ex nullo Augustini testimonio, sufficienter colligi, matrimonium esse vere & proprie Sacramentum, id tamen S. Doctor non obscure significavit lib. 1. de nuptiis cap. 10. & lib. de bono conjugali cap. 24. ubi comparat matrimonium, cum Baptismo & Ordine, qui sunt vere & proprie Sacramenta. Non diffiteor tamen aliud testimonium, quod ex cap. 18. ejusdem libri afferri solet, ubi ait quod in nostrarum nuptiarum plus valet sanctitas Sacramenti, quam sacunditas uteri, parum urget, quia ibi Augustinus, per sanctitatem Sacramenti, nihil aliud intelligit, quam matrimonij indissolubilitatem, qua Christianorum matrimonium infidelium conjugii praestat, ut ipsemet aperte declarat cap. 24. ubi ait talem Sacramenti sanctitatem esse, uxorem a viro non discedere.

Ceterum, quod non solum Latina, sed etiam Graeca Ecclesiae traditione habeamus, matrimonium esse vere & proprie Sacramentum, constat ex censura confessionis Augustanae Luth-

ranorum, quam Hieremias, Patriarcha Constantinopolitanus, nomine suo, & reliquarum Graeciae praesulum, edidit anno 1576. in ea enim cap. 7. matrimonium, divinum esse Sacramentum affirmat, atque unum ex illis septem, quae Christus & Apostoli Ecclesiae tradiderunt. Ubi etiam citat ad idem probandum, celebre illud apostoli ad Ephes. 5. testimonium: Sacramentum hoc in agnum est, &c.

Non desunt etiam congruentiae, quae id suadeant: Cum enim in usu matrimonij inflammetur concupiscentia, & absorbeatur ratio, congruum fuit institui aliquod Sacramentum, quod concupiscentiam in illo actu temperaret. Item si ad gignendos filios spirituales, peculiarem gratiam Christus contulit Sacerdotibus novae legis, quam Deus non contulerat Sacerdotibus legis antiquae, cur per similem negabimus collatam conjugibus ad filios carnales gignendos, pieque educandos, & ad alia opera matrimonij & officia sustinenda & exercenda convenienter? Demum, cum Christus Matth. 19. abrogato repudio, matrimonium reddiderit indissolubile, & monogamum, ut ab initio erat, congruum fuit, ut ei gratiam adjungeret, ad superandas difficultates, quae ex omnimoda indissolubilitate, & perpetua monogamia nascerentur; alioquin si matrimonij Christianorum talis deesset gratia, longe intolerabilius esset matrimonij jugum in lege Evangelica, quam in lege Moisaica: antiquitus enim ad compescendos effrenatos uxoris mores, licitum erat, per libellum repudij illam dimittere, vel aliam simul cum illa ducere; nunc vero neutrum licet, cum Christus in lege Evangelica, libellum repudij, & polygamiam abrogaverit.

Porro gratiam illam Sacramentalem, quam Christus matrimonio in lege Evangelica adjunxit, ipsum ad esse supernaturale Sacramenti elevando, expressisse videtur Apost. 1. ad Timoth. 2. ubi de muliere loquens, ait: Salvabitur per filiorum generationem, si permanferit in fide, & dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate, live temperantia conjugali. His enim verbis recenset Apostolus quatuor bona, quae in Christiano conjugio accipit mulier, & quibus conjuges Christiani, ut convenienti auxilio muniantur, contra quatuor mala, quae contractus matrimonialis secum advehit; videlicet fidem, contra adulterium; dilectionem, contra odium & rixas inter conjuges oriri solitas; sanctificationem, contra immunditiam & turpitudinem, ex membrorum rebellionem & ardorem concupiscentiae procedentem; sobrietatem, contra intemperantiam. In quibus donis permanentium ait, ut in ipsa matrimonij celebratione acceptis.

#### §. II.

##### Solvuntur objectiones.

Obijcies primo: Matrimonium inter primos parentes, aliosque sub lege veteri, & nunc etiam inter infideles, est verum matrimonium, & signum duplicis conjunctionis inter Christum & Ecclesiam, tum per naturam in incarnatione, tum per gratiam in sanctificatione; neque tamen inter illos est Sacramentum proprie dictum: Ergo nec inter Christianos. Unde D. Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia

rarehia differens de Ecclesiæ Sacramentis, nullam facit mentionem matrimonii. Et D. Hieronymus in libro adversus Jovinianum, matrimonium valde deprimit, quod tamen non ageret, si Sacramentum esse censeret.

13 Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam; matrimonium enim inter Christianos hoc habet privilegium supra matrimonium legis naturæ & Mosaicæ, ut non sit tantum contractus civilis, aut Sacramentum latè & improprie sumptum, sed etiam stricte & proprie, & quod ita representet conjunctionem inter Christum & Ecclesiam, ut simul ejus participationem per gratiam sanctificantem exhibeat. Unde Tridentinum supra relatum: Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, meritò inter nova legis Sacramenta numerandum, SS. Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. Idèò verò D. Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia, Ecclesiæ Sacramenta recensens, istius non meminit; quia cum disliceret tantum de Ecclesiastica Hierarchia, ratio ejus instituti postulabat, ut de illis tantum Sacramentis ageret, quæ requirunt sacras actiones per Hierarchas seu Principes Ecclesiæ exercendas. D. autem Hieronymus, licet disputans contra Jovinianum, qui matrimonium virginitati æquabat, referat illius incommoda, reverenter tamen de ipso loquitur.

14 Objicies secundò: Unum Sacramentum non pugnat cum alio: Sed matrimonium pugnat cum Sacerdotio, cum Ecclesiæ Sacerdotes arceant à matrimonio: Ergo matrimonium non est Sacramentum.

Respondeo matrimonium non pugnare absolute cum Sacerdotio, cum in Ecclesiâ Græca conjugati in Presbyteros ordinentur, sed ratione statûs quem inducit, minus bene cum eo convenire. Unde in Ecclesiâ Latina Sacerdotes non arcentur à matrimonio, propter rationem Sacramenti, sed ob rationem statûs conjugalis, magnum impedimentum functionibus Sacerdotis afferentis; debent enim Sacerdotes toti vacare Deo: Qui autem cum uxore est (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 7.) sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Adde quod, copula conjugalis continet immunditiam quandam & indecentiam in Sacerdote, qui filium Virginis, & ipsum virginem, atque omnis puritatis fontem, quotidie debet manibus attingere. Unde Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum num. 2. expendens verba illa Abimelec. Sacerdotis ad Davidem: Si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus? ut scilicet permitterentur edere de panibus propositionis, subdit: Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de uxorum cubilibus conjungentes, edere non poterant.

15 Objicies tertio: Copula carnalis est pars matrimonii, neque sine illa matrimonium subsistere potest: Sed copula carnalis gratiam conferre nequit, tum quia talis actus exercetur interdum cum peccato veniali, tum etiam, quia ut dicitur can. Connubia 32. quæst. 2. non datur præsentia sancti Spiritûs: qui officio generationis obsequitur: Ergo matrimonium non confert gratiam, subindeque non est verè & proprie Sacramentum novæ legis.

16 Respondeo negando Majorem, matrimonium enim perficitur essentialiter mutuo conjugum consensu, sufficienter expresso per verba de præ-

fenti, aut quodvis aliud signum, quare copula carnalis non est necessariò pars matrimonii, aliquid ita requisitum ad illud, ut in principio verum matrimonium esse nequeat. Unde Ambrosius de inlt. virginis cap. 6. Defloratio in præsentia non facit conjugium, sed actio conjugalis. Et Augustinus lib. 23. contra Faustum cap. 8. ait: autem Beatam Virginem & S. Joseph verum fuisse conjugium, non concubitu, sed affectu, non coniunctione corporum, sed copulatione, quod est charitatis amorum Et lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 1. dicit, hoc exemplo magnificè innuatur, quibus conjugatis, etiam servata pari consensu caritatis, posse permanere, vocarique conjugium, non mixto corporis sexu, sed custodito mentis officio. Gratia ergo conjugalis regulariter non datur in actu conjugali, sed in connubio quod actum conjugalem, ut causa suum effectum præcedit, Dixi, regulariter, quia nonnunquam copula carnalis potest esse pars Sacramenti, & signi exterioris locum subire; ut quando spontaneus succedit copula, affectu materiali facta; tunc enim illa sufficientis signi locum habet, potestque matrimonium perficere, ubi nondum recepta est Tridentini constitutio de clandestinis matrimoniis. Unde in tali casu, per actum conjugalem datur gratia Sacramentalis, quod non minus absurdum aut paradoxum videri debet, nam si possint conjuges in actu conjugali ex opere operantis gratiam mereri (quando nonnulli adhibent omnia quæ ad merendum per selem actum necessaria sunt, ut docet S. Thomas hic quæst. 41. art. 4. & colligitur ex Augustino lib. 4. in Julianum cap. 3. in fine, ubi dicit: Nonnulli beatificum esse pudicitiam conjugalem, quando vir utitur conjugis carne, non ad libidinem implendam, sed ad sobolem ob Dei gloriam propagandam) cum non & virtute Sacramenti, ex opere operato gratiam in copula conjugali, quando per illam primò contrahitur & peritur matrimonium, consequi poterunt? Nec refert quod interdum ille actus exerceatur cum peccato veniali, quia potuit Christus actum peccaminosum assumere ut instrumentum suæ passionis ad gratiam Sacramenti conferendam, ut de facto assumit in Sacramento baptismi vel penitentiae, cum Sacerdos ex mala mentione infantem baptizat, vel penitentem absolvit. Non obest etiam quod dicitur can. Connubia, ex Origene desumpto, homil. 6. in Numeros, ibidem Origenes non asserit, sed cum dubitatione opinari se ait, Spiritum sanctum non adesse iud præsentia in copula carnali, hoc est auxilio gratiæ specialis, quam dicit ad hoc opus non esse necessariam, cum ad illud solæ vis humana sufficiat.

Objicies quartò: Pro matrimonio datur peccunia: Sed hoc absque Simonis labe fieri non potest, si matrimonium esset verè & proprie Sacramentum, conferens gratiam: Ergo matrimonium non habet verè & proprie rationem Sacramenti.

Respondeo negando sequelam Minoris: Nam ut rectè ait S. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 2. matrimonium non solum est Sacramentum, sed etiam contractus civilis: licet autem non possit pro Sacramento, præcisè ut tali, pecunia accipi vel dari, bene tamen pro contractu civili, ad sustentanda onera matrimonii.

Objicies quintò: Si matrimonium in Sacramento, erit quid melius & excellentius virginitate, utpote quæ non est Sacramentum: Sed hoc repugnat. 1. ad Corinth. 7. Ergo &c.

Respondeo primo, negando sequelam Majoris, quod enim hoc vel illud sit Sacramentum, non ex rei nobilitate, sed ex divina institutione dependet: unde licet martyrium v.g. sit nobilius Pœnitentiâ, vel Externâ Unctione, non tamen est Sacramentum.

Respondeo secundo, distinguendo Majorem: matrimonium erit quid melius virginitate, in ratione Sacramenti, concedo Majorem: Status enim virginum ex genere suo perfectior est statu conjugatorum, quia est status perfectiorum, status vero conjugalis est contra est status imperfectiorum, quia continentur se esse infirmos, & non posse contineri; ob quam etiam rationem institui debuit Sacramentum potius pro istis quam pro illis: quandoquidem Sacramenta Christi, nihil aliud sunt, quam medicina infirmorum, & remedia contra vulnera peccati originalis.

Obijcies sexto: Concilium Florentinum etiam dicit reperiri in omnibus Sacramentis, videlicet id quod est Sacramentum tantum, quod est res tantum, & quod est simul res & Sacramentum: Sed hæc tria non reperiuntur in matrimonio: Ergo non est verè & propriè Sacramentum.

Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; nam in primis Sacramentum tantum in matrimonio, est expressio externa sensibilibus interni consensus; quia in quolibet Sacramento id est Sacramentum tantum, quod est ignum sensibile per se, & ratione cujus omnia alia sentiuntur: expressio autem sensibilibus consensus interioris est huiusmodi, per se siquidem sentitur, & ratione ejus habet conjunctio conjugum, & omnia alia quæ sunt in matrimonio, quod sunt sensibilia. Deinde in matrimonio res Sacramenti duplex est ex S. Thoma in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 1. ad 1. una causata & significata, nempe gratia ipsa Sacramentalis; altera significata, sed non causata, videlicet unio Christi cum Ecclesia, quam matrimonium non causat, sed tantum significat. Deum maritalis conjunctio sive vinculum illud quod sequitur ex contractu, est in matrimonio res & Sacramentum simul; quia est simul signum & designatum, significatur enim per contractum, & simul ut per ipsum expressa, significat gratiam Sacramentalem quæ datur conjugibus, & unione Christi cum Ecclesia & sua humanitate.

Dices in casu quo infidelis conjugatus fiat fidelis & approbet suum matrimonium secundum leges Ecclesiæ, matrimonium illud incipit esse Sacramentum; & tamen conjunctio maritalis non est in eo res & Sacramentum simul, utpote quæ non causatur per ipsum Sacramentum, sed supponitur aut ipsam causata per contractum matrimoniale, in ipsa infidelitate initum.

Respondeo maritalis conjunctionem, etiam in casu allato, esse rem & Sacramentum simul. Ad probationem autem in contrarium dico, vinculum illud, ut est quidem aliquid naturale, sive ut est effectus causæ naturalis, nimirum contractus nondum elevati ad esse supernaturale Sacramenti, præcedere ipsum Sacramentum; non verò, ut est aliquid supernaturale, sive ut est effectus contractus elevati a Deo ad rationem Sacramenti, secundum quam rationem præcise habet quod sit res & Sacramentum simul.

Ex dictis colligitur, matrimonium, nec in statu innocentie, nec in lege naturæ, vel scriptæ, fuisse verè & propriè Sacramentum, sed id duntaxat habere in lege Evangelica. Pater hoc co-

Tem. V.

rollarium ex Florentino & Tridentino supra citatis, in quibus definitur, matrimonium esse à Christo in lege Evangelica cum reliquis Sacramentis institutum, & veteribus connubiis gratiâ præstare. Verum quandocumque hujus Sacramenti institutio à Christo facta fuerit, omnino incertum est, & circa hoc varia sunt Authorum placita. Quidam dicunt matrimonium elevatum fuisse ad rationem Sacramenti in primo Incarnationis momento: Tunc enim (inquit Gregorius homil. 36. in Evang.) Deus Pater, Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humane naturæ conjunxit; quando Deum ante sæcula fieri voluit hominem in fine sæculorum. Alij, cum sua præsentia, & primò quod in mundo edidit miraculo, nuptias in Cana Galilææ honestavit: tunc enim (inquiunt) Christus convertendo aquam in vinum, designavit matrimonium, quod hæc tunc velut aqua, in officium tantum naturæ deservierat, deinceps in Sacramentum collatum gratiâ, per vinum significata, evehendum. Alij, cum lege repudiij abrogatâ, ad primam ejus indissolubilitatem & unitatem, matrimonium revocavit, Matth. 19. Congruum enim fuit, inquiunt, ut ex tunc gratia ei adjungeretur, ad superandas difficultates, quæ ex omnimoda indissolubilitate, & perpetua monogamia nascerentur. Alij demum, post resurrectionem, intra quadraginta illos dies, quibus frequenter Discipulos suos alloquebatur de regno Dei, hoc est de statu militantis Ecclesiæ, quæ ex Gregorio homil. 12. in Evang. regnum Dei nuncupatur, instruendo illos de omnibus & singulis Sacramentis conficiendis & ministrandis.

## ARTICULUS II.

An matrimonium inter absentes per procuratorem vel per litteras contractum, sit Sacramentum?

### S. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Conveniunt ferè omnes Theologi, paucis exceptis, quos refert Petrus de Ledesma de matrimonio quæst. 42. art. 1. Difficile est matrimonium inter absentes per procuratores contractum, valere in ratione contractus naturalis & civilis, quia cum procuratores sint loco principalium, cum plena potestate contrahendi, quod ipsi faciunt, facere censentur principales contrahentes: unde sicut ex mutuo consensu utriusque conjugis resultat perfectus matrimonij contractus, ita & ex mutuo consensu utriusque procuratoris. Quare in cap. finali. de procuratoribus in 6. & lege sufficit. ac lege finali. ff. de sponsalibus, definitur inter absentes a quæ ac inter presentes, matrimonium contrahi posse. Neque hoc jus est correctum per decretum Tridentini, clandestina matrimonia irritantis: tale enim decretum irritat solum matrimonia, quæ sine testibus & Parocho contrahuntur: matrimonium verò inter absentes per procuratorem initum, contrahitur coram Parocho & testibus, va supponimus: Igitur vitalis decreti non irritatur, sed valet in ratione contractus naturalis & civilis, sicut alij humani contractus, qui fieri possunt inter absentes, per procuratores, qui facere censentur id quod principales contrahentes. Ut ramen

XXx

matri-